

dire & uidere debuerat, habens & ceteros artus, per quos in cogitationibus utitur, & in somnis fungitur. Ecce quibus auribus, & quibus oculis debuit audire & uidere deum populus, quibus anima in somnis fungitur, cum si ipsum Tertullianū quisq; uideret in somnis, nunquā se diceret ab eo uisum, & cum eo locutum, quem uicissim ipse non uidisset. Postremo si anima seipsam uidet in somnis cum iacentib, utiq; uno in loco mēbris corporis sui, ipsa per uarias imagines euagatur, quas uidet, quis eā uidit aliquando in somnis aērei coloris, ac lucidi, nisi forte ut cetera, quæ similiter falso uidet? Nam & hoc potest uidere, sed absit ut eam talem cū euigilauerit credat, alioquin quando se aliter uiderit quod magis crebrū est, aut mutata erit anima eius, aut nec tunc animæ uidetur substantia, sed imago corporis incorporea, quæ miro modo sicut in cogitatione formatur. Quis enim aethiops non penē semper nigrum se uidet in somnis, aut si in alio colore se uidit, nō magis miratus est, si fuit cum illo memoria? Aëreo tamen colore ac lucido nescio utrū se unquam uidisset, si nunquam istum legisset, uel audisset. Quid quod ducuntur homines talibus uisis, & de scripturis nobis uolunt præscribere tale aliquid esse, non animam, sed ipsum deum, qualis figuraliter sanctorum spiritibus demonstratus est, qualis etiam in sermone allegorico ponitur. Similia quippe sunt illa uisa talibus dictis, ac sic errant constituentes in corde suo simulacra uanæ opinionis, nec intelligentes ita sanctos de suis uisis talibus iudicasse, qualiter iudicant si talia diuinitus in figuris dicta legerent uel audirent: sicut septem spicæ, & septem boues, septem anni sunt: sicut linteum quatuor lineis alligatum, uelut discus plenus uarijs animalibus, orbis terrarū est cum omnibus gētibus: sic etiam cetera, & multo magis quæ de rebus incorporeis corporalibus significantur: nō rebus, sed imaginibus. Et itē sequenti capite. Voluit tamen Tertullianus animam crescere substantia, sicut corpus, asserens etiam timoris sui causam, ne etiā decretere substantia dicatur inquit, atq; ita defectura credatur. & tamē quia per corpus eā localiter tendit, non inuenit exitum incrementorum eius, quam uult de femine exiguo æquari corporis quantitati, & ait: Si uis eius in quo naturalia peculia consita retinentur, saluo substantiæ modulo, quo à primordio inflata est, paulatim cum carne producat in membris. hoc forte non intelligeremus, nisi adhibita similitudine eorū quæ uidemus, planum faceret quod dicebat. Constitue, inquit, certum pondus auri, uel argenti rudem adhuc massam, collectus habitus est illi & futuro, interim minor, tamen continens intra lineam moduli totum, quod natura est auri uel argenti: dehinc cum in laminā massa laxatur, maior efficitur initio suo per dilatationem ponderis certi, non per adiectionem, dum extenditur non

*anima in somnis*

*imagines rerum*

Caput. 16.

*Ex ma corporis fit anima*

*Copulatio de auro*

b 2 dum